Quelle: https://manuscripta.at/?ID=833
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

iter sunt attenti et ad Reges hyspanie omnes notabiles nuncios nostros transmisimus Et cum Ambasiata vestra quam missuri estis ut scribitis nos applicuerit ipsam gratissime audiemus et iuxta ipsius consilia credulanciente intendemus ad singula que ipsis necessario videbuntur Rogamus ergo requirimus et hortamur v. p. in domino nostro ihesu christo cuius res agitur quatinus in constanti vestro proposito quod spiritus sanctus in cordibus perfudit velitis firmiter perseverare et agere ea continue que sunt pro bono ecclesie sancte dei Certissima habetote fiducia quod nos vobis et sacro concilio assistemus fideliter usque ad vires nec ab hoc voto nostro retrahere nos poterit nec debebit quecunque rerum eventus et speramus quod serenissimi domini nostri pape auditis nostris persuasionibus et avisamentis sibi missis similiter faciet et tanto amplius quanto concilium perseveret esse inceptum quemadmodum v. p. in brevi dante domino describemus Datum placentie die ultima Januarii Regnorum nostrorum etc.

Alia

Reverendissimi in christo patres amici carissimi ac venerandi atque et sincere nobis dilecti Venerandi patres lausanensis episcopus et decanus Traiectensis oratores vestri nuper ad dominum venerunt transmissi alias in ipsorum transitu nos visitantes Jam de Romana curia redeuntes nos clarissime informarunt de circumstanciis quarumcunque rerum que se tobda realiter et bene gesserunt uti ab oratoribus vestris bene informamur quibus eciam mentem nostram detegimus prout ipsi v. p. clarius referent Rogantes et exhortantes easdem affectuosius quo possumus quatinus de factis illis velitis ferventer et festinanter intendere ne conatus contrariancium prevalere possint mora enim in rebus istis periculosissima et emulantes non dormiunt Et nos quidem vobis et sacro concilio constanter adherebimus quemadmodum crebro descripsimus et ab ipsis oratoribus vestris colligetis In factis autem domorum et hospiciorum in Basilea et scribendi ad prelatos et principes non tardabimus sed nunc cum que misistis videlicet ad vos expeditum mittemus Datum parme die quarta mensis Aprilis etc.

Alia

Reverendissimi in christo patres et domini ac venerabiles egregii sincere atque dilecti venientem ad nos Religiosum fratrem Johannem de Mulbrun ordinis cisterciensis devotum vestrum dilectum et in viim re-